



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Solvuntur argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Qu.vlt. Quid sit vbi, quando, & habitus. 837

- ¹⁰ Deinde, quia si terminus extrinsecus qui posset acquiri per motum localem esset aliquid extra moventem se, maxime locus extrinsecus, qui nihil aliud est quam vltima superficies corporis continentis; sed in vacuo, v. g. supra cælum vel naturaliter, vel supernaturaliter potest dari verus motus, & nullum corpus, ac proinde nulla superficies vltima datur ibi corporis continentis; ergo terminus necessarius motus localis non est locus extrinsecus, sed potius præsentia intrinseca in movente se.
- ¹¹ Secunda pars conclusionis, scilicet quod distinguatur ex natura rei à re vbicata sic probatur primo, quia omnis actio producit terminum distinctum à parte rei à passo in quo subiectatur actio; sed vbi producit per modum localem existentem in re vbicata; ergo tale vbi distinguitur in re à re vbicata.
- ¹² Secundo probatur, nam v. g. quantitas Eucharistiae per mutationem localem acquirit novum vbi, & amittit antiquum, nulla facta mutatione in quantitate per se loquendo: ergo evidenter colligitur quantitatem illam distingui ab vbi, quod de novo acquirit, & à quo nunc separatur quod erat antiquum, cum idem non possit esse, & non esse simul.
- ¹³ Tertio probatur, quia illa distinguuntur, quorum vnum potest esse sine alio, sed Petrus potest esse sine illa denominatione: ergo Petrus distinguitur ab illa, distinguitur autem tanquam mediū à re, quia licet Petrus possit esse sine illa, illa autem non potest esse sine Petro.

SECTIO VLTIMA.

Solvuntur Argumenta.

- ¹⁴ Ad argumenta, & ad primum Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia forma vbicati in loco non est ipse locus; sed est præsentia realis, entitas scilicet modalis, quæ res hic, vel illic formaliter existit, quæ entitas distincta est realiter à loco, & à corpore locato, tanquam modus realis intrinsecus ipsius.
- ¹⁵ Ad secundum argumentum Respondeo, negando antecedens, vti iam probatum manet de relationibus, de quibus ostendimus distinctas esse à fundamentis; sed demus relationes approximationis, vel remotiois non distingui ab entitatibus approximatis, seu à fundamentis approximationis, non bene arguitur postea quod vbi non distinguatur ex natura rei ab ipsa re vbicata, vti videre est in Doctoribus, qui ex vna parte dicunt relationem non distingui à suo fundamento, & ex alia asserunt vbi distingui ex natura rei, à re vbicata, vti videre est in Patre Suarez.

QVÆSTIO VLTIMA

Quid sit vbi, quando & habitus.

- ¹ Prima conclusio: vbi est modus realis intrinsecus à quo res habet formaliter esse præsens in loco, seu est ratio formalis intrinseca

constitutiva rei in esse præsentis alicui spatio.

Dicitur modus intrinsecus, vt excludatur ipse locus extrinsecus, spatium nimirum in quo est res vbicata, & à quo distinguitur vbi ex natura rei, dicitur ratio formalis, & c. vt excludantur formæ v. g. motus, & quantitas, quatum effectus formalis non est constituit rem præsentem alicui loco, seu spatio, per quam particulam etiam excluditur potentia motiva, per quam non formaliter, sed effectivè res est in loco, quod clarius elucidatur, Paulus enim indifferens est, vt præsens sit huic gymnasio, vel plateæ, & ideo eger aliqua entitate à se distincta, quæ sit ratio formalis determinandi illum, ad hoc gymnasium potius, quam ad plateam; hæc entitas vocatur vbi, & acquiritur per motum localem, tanquam necessarius terminus illius, quia motus est actio realis; sed actio realis necessario petit terminum realem, & actio intrinseca terminum intrinsecum: ergo vbi solum est terminus motus, & non locus extrinsecus.

Vbi dividitur in circumscriptum, & definitivum, circumscriptus est modus, quo res tota est præsens toti spatio, & pars illius parti spatij, vt totus Petrus est in toto spatio sibi commensurato, & caput, seu manus eius est in parte illius spatij, quod adæquate à Petro occupatur.

Definitivum est quo res ita est præsens toti spatio tota, & etiam sit tota in qualibet parte spatij v. g. Angelus, qui totus est in toto hoc gymnasio, & totus in qualibet parte illius; etiam Christus in Eucharistia, totus est in tota hostia, & totus in qualibet parte illius, & idem est de anima rationali in corpore.

Secunda conclusio, quando est duratio intrinseca rei, quæ sic definitur. Duratio est positiva permanentia, seu perseverantia in existendo; vt hoc intelligatur, nota cum Patre Suarez, nullam rem proprie durare in primo instanti nostri temporis, in quo incipit esse, quod est valde consentaneum communi consensui, tum Latinorum, tum Philosophorum, quia verbum *duro*, permanentiam aliquam in re significat, cum autem res in vnicuique instanti nondum habeat permanentiam, seu propagationem in existendo, non potest proprie dici durare pro eo instanti, & ideo ab omnibus Theologis excluditur à generatione substantiali duratio illi solum tribuitur fieri, & existere, & subito transire, existens enim comparatur productioni, duratio autem conservationi rei, nam existens dicit actualitatem rei extra causas absolute, & non connotando præexistentiam aliquam; duratio vero dicit perseverantiam aliquam in eadem existentia, & sic connotat secundum nostrum modum concipiendi præexistentiam eiusdem existentie, seu quod talis existentia concipi possit, vt existens ante quodlibet instans, pro quo durare dicitur.

Duratio vt sic universaliter sumpta quam hoc prædicamentum exigit, dividitur primo in creatam, & in increatam: Increata dividitur in æternitatem, & in sempiternitatem, seu coæternitatem, non tamen in duo membra realiter distincta; sed tantum formaliter per intellectum: Æternitas est duratio interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio: sempiternitas, seu coæternitas est duratio divinarum personarum, non quatenus Deus, sed quatenus relativa entia sunt, sic vocavit durationem